# QVÆSTIO MEDICA
## QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
### MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,
DIE IOVIS VIII. FEBRVARII.

M. GABRIELE HARDVINO DE S. IACQVES, Doctore Medico, Moderatore.

*An vt Spiritus, sic flatus à calore?* 727.



SPIRITVS μέγιςος ἐν ἅπασι δυνάςης cum anima mundi est: sic mundi & hominis fit ὁμόνοια ἐν κοσμήσει καὶ ταραχῇ. Vniuersi mens agitat molem, totíque immixtus non corruptibilis spiritus intùs alit, omnémque viuificat speciem: Hic virtutum omnium vinculum & vehiculum: hic rerum medium quo species in aliam extenditur, quo cœlum agit in sublunaria, motu, lumine, & influentijs. Huic longè inferior spiritus elementaris αἴτιος τοῦ βίου καὶ τῶν νοσέων, prout mutabilis & meabilis beneficio caloris, quo benignæ spirant auræ, eodémque æstuant venti, non aëris fluxu vel percussione nati, non refractione mediæ aëris regionis frigidæ in obliquum mobiles, non ab Æolicis antris tanquam scaturiginibus emergentes; sed varijs in locis ex halitu tum sicco, tum humido, in densa nube vortices, turbines, in aëre & nimbis infimis cardinales, ἀπόγειον πνεῦμα, in terræ visceribus (ab inclusis ignibus) subterraneos, calor solis attenuatione concitat & reprimit. Quicquid enim per attenuationem mouetur, calore fit, & frigore sternitur; sicque non fit frigidis Aquilonibus turbo, nec extante niue procella.



OMNI mixto corpori suus est spiritus analogus vniuersali, speciei totius energiam continens. In microcosmo, anima, calor, & spiritus omnia mouent. Spiritus corpus illud tenue, lucidum, aëreæ & igneæ naturæ, non corporis & animæ vinculum, aut medium, sed primum in obeundis functionibus instrumentum, caloris natiui subiectum, à primordijs generationis inest, ac etiam ante animam, ex calidiore & tenuiore seminis portione prosiliens. Ille est spiritus genitor qui ὁμογένεα μέρη constituit, extendit, & velut exsufflatione quadam perforat: insitus fit, & cuiq; parti proprius, sed ad tres præcipuos fontes sese magis recipit, vt sibi domicilia, & exsolubilis eius substantiæ reparationi dicata ἐργαστήρια, diuina vis efformatrix constituat. In quibus triplici coctione vi caloris elaborantur spiritus influentes, specie, origine, materia facultatibúsque distincti, triplici corporis œconomiæ, naturæ vegetanti, vitæ, & animæ motiuæ, sensilíque inseruientes, ab hepate naturalis crassior, à corde vitalis calidior, à cerebro tenuior animalis medullitùs per neruos continenter emanant.



VT spiritus natiui, sic flatus exsuperantis & præter naturam caloris soboles est, vbi non deficit humoris cuiusuis, aut flatulenti cibi copia. Oritur in omnibus corporis particulis, si præ calore immoderato ferueant, sicque fusis humoribus non insinuatur plenitudo sanguinea, sed ἐμπνευματώσις: magis in nutricatus œconomiæ cauitatibus, & vbi sunt ingestorum receptacula. In ventriculo non tepidi diminutè & gradatim agentis in cibaria, sed retorridi caloris vi deprauata chylosi generantur φῦσαι; inde ructus nidorulenti, & ὀξυρεγμίαι quæ sunt in diuturna lienteria salutis prænuntiæ, in intestinis vacuis, vel cum succis fluxilibus, spumosis, vel stercoribus exsiccatis, in tota denique aluina regione, flatuum triplex fit idea σιγώδης, ψοφώδης, τρυσμώδης, quos infra trajici bonum, ἄνευ ψοφήσιος exire melius, sursum reuolui pessimum. Ex soni autem acutie, murmure, bombis, borborigmis, eorum substantia, qualitas, mixtio, situs & exitus internoscitur.



IN iecinore feruido fons perennis est flatuum, quos edit in se & extra se, in venis, & cauis, non tam ex accumulati humoris, quàm ipsius attracti chyli materia κατ' ἀποτυχίαν τοῦ τῆς αἱματώσεος ἔργου. Hinc tormina & lumborum dolor, qui nec medicamentis, nec aliter soluitur, sed in siccum hydropa firmatur, humido deteriorem, vt est de cholera & pleuritide siccis. Tunc frustrà mesocœli & intestinorum arguitur hectica diathesis, & pro mansione aut exitus intercepti causâ, peristalticæ facultatis euersio. Frustrà catharticis tentatur exclusio, nec chalasticis calidioribus. Apage semina selini, cumini, apij, diospoliticon, & elect. de lauri baccis, nulla siquidem his sunt medicamenta, solus calor naturalis ἄφυσος, calida frigidis, & frigida calore febrili φυσώδεα fiunt: frequentes nihilominus venti in febribus & nephriticis doloribus frigidis sunt exsoluendi. In ardentibus autem febribus nunquam fiunt, his proinde bonum si tensa obmurmurent hypochondria.



VARIIS pro locis & focis & ex diuersa materia sunt multiplices flatuum diorismi. Tenues in ieiuno, in colo crassi, in liene turbidi feruidi, quos edit ζύμωσις μέλανος χυμοῦ, maniæ & lycanthropiæ matrix. A pituita frigidi καρηβαρικοί, ἀχλυώδεες, νωθροί, ἀγρυπνοί. In cerebro pauci per sternutamentum erumpentes, quod non nisi summè excalfacientibus arte cietur. Raro fiunt in corde viscerum omnium calidissimo, sed aliunde ipsum impetunt. Ab humore acri per habitum corporis diuulsiones, ῥῖγος καὶ φρίκην tensiuósque dolores inferunt. In ventre sunt eiusdem naturæ, qualia sunt edulia. Quæcumque autem flatulenta eadem eximia caliditate pollent in materia quæ potest attenuari (quare sennam flatulentam malè condiunt qui fœniculo vel aniso emendant). Quæque verò tenui halitu spiritibus nostris analogo turgida sunt, ad impetus mouent venereos distentione voluptuosa, num etiam dolorifica? Vtraque siquidem vt flatus & spiritus κατ' ἀξίωσιν fiunt, quæ non debilis caloris opus est.

*Ergo vt Spiritus, sic flatus à calore.* 173




Proponebat Lutetiæ ANSELMVS BICQVET Parisinus, A. R. S. H. M. DC. XXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Franciscus Bouionnier.*
*M. Ioannes Berault.* P. R.
*M.Franciscus Mandat.*
*M. Franciscus Quiquebeuf.*
*M. Claudius Lienard.*
*M. Renatus Moreau.*
*M. Dionysius le Soubz.*
*M. Bartholomæus Barralis.*
*M. Petrus Pijart Antiq. Mag.*